Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



cum Jesabell, qui prophetas tuos morti tradidit, expelle illos et interfice eos manu potentiæ tuæ, qui per Danielem Bel destruxisti et interfecisti. Alliga pedes eorum manicis ferreis, Sicut cecidit Babilon ciuitas illa magna: ita hi maledicti spiritus corruant, et uirtute tua prohibiti, hanc famulam .N. eorum infestationibus non lædant, nec aliquas passiones uirtute illius maleficij sibi aut suis de cætero inferant. Et sicut uentis et mari imperasti in terra ambulans, ut à sua impetuositate cessarent, sic imperem his maledictis spiritibus, ut à suis nequitijs et infestationibus conquiescant, et amplius hanc famulam .N. molestare et impugnare non præsumat. per te saluator mundi. etc.

Inimice humani generis, qui super nubem ascendere uoluisti, et similis fieri altissimo concupisti, propter quod per sanctum Michaelem de supernis cœlorum ad inferna demersus es, da hodie honorem Deo uiuo, et uero, da honorem Jhesu Christo filio eius, et spiritui sancto, et recede ab hac famula .N. et non facias illa mala in ea, quæ prius feciſti, nec seducas eam de uia lucis in uiam tenebrarum, nec noceas ei in